



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput IV. Explicantur Scripturæ loca, quibus ad veritatem oppugnandam
abutuntur Sectarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

ſi verum eſt per illum dirigi ſolam mentem perfecte credentium. Itaque ut credat, poſtquam certis indiis veram Eccleſiam detexit, debet ſe imbuendum ac dirigendum illius auctoritati committere. Paucis hæc omnia complectar: Privatus ſpiritus humanus eſt, fallax, errori obnoxius, multiloquax, non communis, non ſibi conſtans, ſed mortaliſimum opinioni ſe attemperans, varius, levis, diſſenſionis pleniffimus; ideoque non ad componendas controverſias conducit, ſed ad magis ciendas, atque implicandas.

14. Inſuper ſapienter ſcriptum à Baſilio
 Probatur 3. Epift. ad Neocæſarienſes, *Oportet, ut eadem ſint animi induſtria præditi, & qui alienas ſcripturas judicaturus eſt, & qui illas conſcripſit*: idque S. Doctor probat, quoniam nec de agrorum cultura poteſt judicare qui nunquam exercuit munus agricolæ, nec de rythmis, notisque muſicis, qui mathematicis non fuit imbutus. Scripturæ ergo aſſante Divino Spiritu editæ, nonniſi Spiritus ſancti diſſuſo lumine poſſunt intelligi. Forte id non denegabunt hæretici, ſed quomodo nobis perſuadeant privatum ſpiritum eſſe Spiritum ſanctum? Hoc etiam Pſeudoprophetæ audacter præſumunt. Oportet ergo, demonſtrent ſe non eſſe Pſeudoprophetas, ut privatum ipſorum ſpiritum comprobemus: quod nunquam propriæ perſuaſionis testimonio poterunt demonſtrare. Hinc Petrus 2. Epift. 1. 20. ex quo Prophetæ locuti fuerint Spiritu ſancto inſpirati, inſert propheticam ſcripturam non eſſe privato ingenio exponendam. *Omnis prophetia ſcripturæ*, inquit, *propria interpretatione non fit*, monetque eo loci à Pſeudoprophetis cavendum. In hoc Petri testimonio ea verba *Prophetia ſcripturæ* ſignificant ſcriptorum prophetiarum, ſeu verbi Divini expoſitionem, ut ad Ro. xii. 7. prima ad Corinthios xiii. 8. 1. Ad Theſſalon. v. 20. nec videtur proprie per *Prophetiam ſcripturæ* ipſam ſcripturam propheticam, non ſcripturæ explicationem ſignificari, ut in hunc locum obſervat Eſtius; nec vocabulo *Ἐπίδοσις*, quamvis in-

terdum alia ſignificentur, melius & in ſacris literis frequentius aliud demonſtratur, quam interpretatio & expoſitio. Itaque allati testimonii ſenſus eſt, *Scripturæ ſacrae explicatio propria interpretatione, ſive privata doctrina & auctoritate non fit*: ut inquit Eſtius, & Tirinus in hunc locum, Bacchiniuſ Epift. 2. num. 4. Quod etſi *Prophetiam ſcripturæ* intelligamus eandem ſcripturam propheticam, ſenſus erit nullam ſcripturam exponendam eſſe privato ingenio; qui ſenſus confluet in præcedentem. Non ſunt ergo Scripturæ privato ſenſu interpretandæ, ſed exponendæ eo ſpiritu, quo ſcriptæ ſunt, ſpiritu nempe Divino, quem Chriſtus promiſit Eccleſiæ.

Denique hæretici ſuorum testimonio poſſunt revinci. Henricuſ enim VIII. Anglorum Rex anno 1540. decrevit neminem præter Eccleſiæ Doctores poſſe Scripturas interpretari, inſinuitque populo ne illas exponere, aut ex illis ratiocinationes inferre auderet. Videatur Boſſuet in Hiſt. Variat. lib. viii. num. 64. Zwingliuſ ad reſellendos Anabaptiſtas lib. 1. de Baptiſmo p. 72. demonſtrat non ad illos, ſed ad Eccleſiam ſpectare ſcripturarum expoſitionem. Idem ſcribit Buceruſ in Rat. can. exam. pag. 223. Cur demum hæretici ad controverſias dirimendas non ſemel Synodos coegerunt, ſi unusquiſque à proprio, privatoque ſpiritu debet dirigi? Reſpondere nequeunt ad Synodum convenire ad ſtatuendam Eccleſiaſticam diſciplinam, non ad dogmata definienda; nam Synodus Jenenſis habita fuit adverſus Zwinglianos, Dordrechtana contra Arminianos, Carentonenſis contra Calvinianos: & in ſingulis Novatorum conventibus actum de Euchariſtia, de Baptiſmo, de Juſtificatione, cæterisque graſſantibus controverſiis. Quid etiam definiunt, niſi fidei dogmata, tot Confeſſiones ab hæreticis divulgata? Ipſi ergo velint, nolint, præter Scripturam, & privati ſpiritus perſuaſionem coguntur vivum Judicem adire, quem nullibi invenient, niſi in viſibili, & Apoſtolica Eccleſia.

15.
 Probatur 4.

C A P U T IV.

Explicantur Scripturæ loca, quibus ad veritatem oppugnandam abutuntur Sectarii.

S U M M A R I U M.

1. Uſque 12. Solutio obſectionum Hæreticorum.

L 1 3

At

1.
Obiectio 1.
Hæretico-
rum & Solu-
tio.

AT Scripturam fidelibus singulis aper-
tissimam esse hæretici demonstrare
conantur sequentibus argumentis.
Principio, inquit, Deuteronomii xxx.
11. legitur: *Mandatum hoc, quod ego
præcipio tibi hodie, non supra te est,
neque procul positum.* Divinæ ergo
legis volumina, & consequenter sacri
omnes libri, unicuique fidelium perspi-
cua sunt. Verum hujus argumentatio-
nis falsissima est consequentia; nam asse-
ritur tantum hoc loco, Deum non de-
disse mandata impossibilia, sed literis
consignasse eadem præcepta, quæ lex
naturæ inscripserat singulorum homi-
num cordi: quare non urgent nos lau-
data Deuteronomii verba, sed ipsos hæ-
reticos asserentes tam difficile esse im-
plere mandata legis, quam caucalum
transvolare. At legis præcepta æquis-
sima sunt, levia, jucunda, & lata nimis,
*Si charitas, quæ est plenitudo legis ha-
bitet in corde,* inquit Augustinus q. 54.
in Deut. Hanc interpretationem confir-
mant proxima verba versus 14. *Juxta
te est sermo valde in ore tuo, & in cor-
de tuo, ut facias illum.* Imo & in verbis
præcedentibus, ubi legimus *mandatum
non supra te est,* habet Hebraicus Codex,
נְפִלְאָתָא הוּא כִּמְרָא, Non est sepa-
ratum à te, scilicet, inscriptum cordi.
Ipse Fagius Volum. 1. Crit. Sacrorum
p. 237. ait: *In corde dicit, quia legem
cordibus Judæorum inscripserat Domi-
nus, priusquam in tabulis lapideis De-
calogum insculpsisset. Vel in ore tuo,*
id est in ore Levitarum, qui à populari-
bus tuis sunt: nam labia Sacerdotis cu-
stodiunt scientiam, & legem ex ejus ore
requirunt, Malach. 11. 7. Hæc Fagius.
Itaque nihil poterunt hinc evincere
Protestantes, nisi Divina præcepta vo-
lentibus eadem implere esse levissima at-
que facillima.

2.
Obiectio 2.
& Solutio.

Deinde obijciunt: Pf. xviii. 9. le-
gitur: *Præceptum Domini lucidum, il-
luminans oculos.* Pf. cxviii. 105. *Lu-
cerna pedibus meis verbum tuum, & lu-
men semitis meis.* Ac Petrus 1. Epist. 1. 19.
*Habemus firmorem propheticum sermo-
nem, cui benefacitis attendentes quasi
lucerna lucenti in caliginoso loco.* Aper-
tissimus est ergo, ac per se nitidissimum
effundit lumen sacrorum librorum co-
dex. Resp. Scripturam quidem lucer-
nam esse, & pedibus ac semitis, id est,
peragendis operibus regulam exhibere,
sed revelatione supposita, & Doctorum
Ecclesiæ præmissa declaratione; quod
idem Psalmista affirmat citato Psalmo
cxviii. 12. dicens: *Revela oculos meos,*

& considerabo mirabilia de lege tua,
& v. 130. *Declaratio sermonum tuorum
illuminat, & intellectum dat parvulis.*
Petrus quoque non frustra caliginosum
locum commemorat, sed ut demonstret,
opus esse, ut qui lucem non habet, ab
aliis, qui sacras literas callent, illam
sceneretur; quemadmodum fecit Hiero-
nymus dum perrexit Alexandriam ad
Dydimum, & ab eo seiscitatus est quæ
in Scripturis omnibus dubia habebat.
Videatur idem Hieronymus Præfat.
Comment. in Epist. ad Ephes. Ipsum
Hieronymum de Scripturarum quæstio-
nibus difficillimis consuluerunt Damasus
Papa, Evagrius, Dardanus, & totius fere
Orbis viri Clarissimi. Similiter S. P.
Augustinum Volusianus, Marcellinus,
Bonifacius, Honoratus, Simplicianus,
alii. Atque his exhibita est in caligino-
so loco lucerna, quam Sæctarii contem-
nentes interpretamenta eorum, quibus
à Domino dictum est, *Vos estis lux mun-
di,* facti rebelles lumini abijciunt, & in
explicandis textibus omnium expresse-
issimis inter se more Andabatarum decer-
tant.

Rursus opponunt. Isaïæ viii. 20. 3.
mandat Dominus, ut in rebus ambiguis, Obiectio 3.
recurramus tanquam ad judicem, *Ad* & Solutio.
legem magis, & ad testimonium. Et Je-
remiæ xxxi. 33. ne quis alienum judi-
cium quærat, ait: *Dabo legem meam in
visceribus eorum, & in corde eorum scri-
bam eam.* Respondemus autem, apud
Isaiam eo loci damnari illos, qui ad py-
thones ac maleficos confugiunt, ut co-
gnoscant futurorum eventus, quod di-
strictè prohibetur in lege Domini, Deut.
xviii. 9. Atque id liquet ex verbis
proxime præcedentibus, *Et cum dixe-
rint ad vos: Quærite à pythionibus, &
à Divinis, qui stident in incantationi-
bus suis.* A Jeremia autem prædicitur
novum Testamentum, in quo non solum
lex forinsecus terret minitando, sed
etiam gratia intrinsecus adjuvat amo-
rem justitiæ inspirando, neque cordi in-
scribitur atramento, sed spiritu Dei vivi,
ut inquit Apostolus 2. ad Corinth. 111. 3.
Audiatur Augustinus de Sp. & lit. cap.
xxi. num. 36. *Quid sunt ergo leges Dei
ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa
præsentia Spiritus sancti, qui est digitus
Dei, quo præsentia diffunditur charitas
in cordibus nostris, quæ plenitudo legis
est, & perfectio finis?*

Insuper obijciunt. Joannis v. 39. Chri-
stus non ad Ecclesiæ judicium, sed ad 4.
solam scripturam remittit Judæos, ut Obiectio 4.
veritatem Incarnationis jam peractæ, & Solutio.
Messiæ adventum cognoscerent, dicens,
Scr-

Scrutamini ſcripturas. Reſp. Nihil ex hoc teſtimonio contra nos evinci poſſe. Primo quia nec Romana Eccleſia prohibet, ne veritatis amatores ſacrarum litterarum ſtudiis incumbant, ſed hoc magno opere commendat, Dei verbum tanquam normam fidei, & fontem veritatis perennem nobis proponendo. At aliud eſt ſcripturam expendere, ſcrutari, diſcutere, & ex ea veritatem inquire; aliud ipſius authenticitatem diſcernere, ſenſum ambiguum definire, & de fidei controverſiis abſolute ſententiam pronuntiare. Deinde eo loci Chriſtus non remittit Judæos ad ſolam ſcripturam, ſed primo ad teſtimonium Joannis v. 33. poſtea ad opera à ſe patrata v. 36. ulterius ad teſtimonium, quod de illo perhibuit Pater v. 37. Quomodo ergo ſolam ſcripturam hæretici hoc loco abutentes deprædicant? Præterea unde Judæi ſcripturas acceperant, niſi ex Traditione Majorum, & Eccleſiæ auctoritate? Inſuper quomodo probant per illa verba, *Scrutamini ſcripturas*, Judæos ad ſacrorum librorum lectionem remitti? Si fides habenda eſt Eraſmo, non minus Græcis, quam nobis incertum eſt, utrum *Scrutamini* imperandi modo dictum ſit, an indicandi. Idem ſcribit Vatablus. Cameron contendit eſſe potius indicativi, temporis præſentis, imo & hæc eſt ſententia Cyrilli apud citatum Eraſmum. Erit ergo verborum illorum ſenſus, Vos ſcrutamini ſcripturas, ſed iſdem, quod in eis præcipuum eſt non creditis, cum enim illæ de me teſtimonium perhibeant, *non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Ex quibus inferitur hoc argumento ſententiam hæreticorum oppugnari; nam quemadmodum Judæi, licet ſcrutarentur ſcripturas, quia non receperunt Joannis teſtimonium, non crediderunt Chriſti miraculis, non audierunt vocem Patris, obcæcati ſunt, & videntes non viderunt; ita hæretici ſolam ſcripturam perlegentes, & ſanctorum teſtimonia, miraculorum virtutem, & vivam Dei vocem ore ſummarum Eccleſiæ Paſtorum prolatam pervicaciter contemnentes, veritatem peſſumdant, & in tenebris deliteſcunt.

5. Objeſto 5. & Solutio. 11. Præterea arguunt hæretici. Act. xvii. Beroenſes, ac nobiliores Theſſalonicæ ad prædicationem Pauli *ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* Si Apoſtoli verba ad ſcripturarum judicium revocata ſunt, quidni ſas erit ex ſcripturis de Pontificis Romani definitionibus judicium ferre?

Reſp. Beroenſes non ad ſcripturas legendas ſe converſiſſe, ut crederent Paulo, jam enim verbum cum omni aviditate ſuſceperant; ſed ut in fide proficerent, videntes omnia, quæ de Chriſto ab Apoſtolo enuntiabantur, fuiſſe prædicta vaticiniis Prophetarum. Vidit id etiam Grotius, quem tanti faciunt Novatores, ſcribens in hunc locum Tom. 2. Op. Th. p. 630. *Non quod dubitarent de veracitate Pauli, & Silæ, ſed ut Prophetica ſcripta cum illorum verbis conſervando, magis magisque in veritate conſirmarentur, & haberent unde alios convincerent.* Hac intentione, animoque proficiendi unicuique ſas eſt ſcripturas expendere, & ex illis veritatem inveſtigare, judicio diſcuſſionis, non judicio definitionis, quæ duo callide heterodoxi confundunt. Adde diverſam eſſe rationem illorum, quibus nova doctrina proponitur, & illorum, qui jam alicui Religioni ſe nuncuparunt. Illi enim ſi prophetias, ſi miracula, ſi rerum conſonantiam, ſi auctorum fidem explorant, prudenter ſe gerunt, cum nemo teneatur credere, priuſquam *motiva credibilitatis* ad trutinam revocaverit. Tales fuiſſe Beroenſes conjicit Comment. in hunc locum Jo. Lorinus. At qui jam fide imbuti ſunt, & Chriſti Religionem ſuſceperunt, debent in ea ſupremi judicis agnoſcere auctoritatem; ſine qua Religionis unitas nequit conſiſtere.

6. Sexto contendunt probare in novo Testamento omnia fidelibus aperta eſſe, Objeſto 6. quoniam Apoſtolus in 2. ad Corint. iv. 3. & Solutio. ſcribit, *Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum; in iis, qui pereunt, eſt opertum.* Et in Apocalypſi v. 9. dicitur *Agnus*, id eſt, Chriſtus aperuiſſe *librum*, & ſolviſſe *ſignacula ejus*; ideoque poſt Chriſti mortem nullum amplius myſterium latet. Verum Apoſtolus tantummodo affirmat prædicationem Evangelii, & Chriſti fidem diſcipulorum opera per orbem terrarum diſfundi, & ſi permulti Redemptionis myſteria non percipiunt, hæc illis abſcondi, quia idololatriæ, flagitiisque dediti dignos ſe præbent, quos princeps hujus ſæculi, ſinente Deo, in errorem adducat: quod ex ſola Paulinæ Epistolæ lectione obvium eſt. In Apocalypſi autem dicitur Agnus occiſus accepiſſe *librum*, & ſolviſſe *ſignacula ejus*, quoniam in Chriſti morte completi fuerunt typi veteris Testamenti, ut demonſtravit etiam ſciſſio veli, juxta communem Patrum ac Interpretum expoſitionem: cui addimus primo, *librum* ab Agno apertum in medio ſeniorum & quatuor animalium, Evangelistarum nem-

nempe, & Apostolorum, quibus Dominus aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas. Deinde cum aperuisset Agnus unumquodque de septem sigillis, ait unum de quatuor animalibus, *Veni, & vide*: quæ sunt verba Petri principis Apostolici cœtus Joannem alloquentis, quia & dignioribus summus Ecclesiæ Rector pandit oracula. Tandem in libri aperi-tione significantur hic decreta Dei pertinentia ad Judæos, quæ Christus summam prædixit Matth. xxiv. & Lucæ xxi. Si Novatorum aliquis petat, Quisnam hic loci Petrum specialiter nominari existimet, quis expositionem hanc tradat? Respondeo, Grotius tuus, quem appellas illustrem, eximium, & singulis Romanensibus præferendum. Videtis Tom. III. Op. Th. pag. 1178. Si reponat hæreticus Grotium decipi; fateatur necesse est etiamnum librum iis, qui à Novatoribus doctiores habentur, ob-signatum.

7.
Oblectio 7.
de spiritu
privato &
solutio.

Addunt quædam loca, quibus videtur comprobari privati spiritus judicium. Hujusmodi sunt quod scribit Apostolus in priori ad Corinth. 11. 15. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur.* Joannes Epistola prima, 11. 27. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium.* Et in Evangelio cap. vii. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet ex doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* At neque ista juvant Heterodoxos. Pro intelligentia testimonii Apostolici oportet inquirere quid sit animalis homo, quid spiritualis. Animalis homo dicitur, qui solum sensum, & naturale rationis lumem, per quod homo factus est in animam viventem, dijudicando sequitur, nulla imbutus Christianæ fidei doctrina, ut Ethnici aut omnino rudes, aut humana instructi philosophia. Spiritualis econtra est, qui fide, & illuminatione Spiritus sancti est illustratus. Sensus ergo est, quod nec philosophi, nec sensuum ductum sectantes percipiunt Trinitatem, Incarnationem, & alia Fidei mysteria, quæ credentes assequuntur; & quod hi optime deprehendunt deliramenta philosophorum negantium aut unius Numinis existentiam, aut animorum immortalitatem, aut rerum creaturarum administrationem ac productionem; neque humana philosophia est adeo sublimis, ut possit de Christianorum rudimentis judicium ferre. Verum non ait Apostolus spiritualem hominem

proprio spiritu omnium Scripturarum arcana pervadere, & ad omnes difficilimas quæstiones definiendas idoneum esse: quod licet alicui eximie sanctitatis viro aliquando concessum fuerit; nos cavere debemus, juxta Augustini monitum in Prolog. librorum de Doct. Christ. *tales tentationes superbissimas & periculosissimas, magisque cogitare & ipsum Apostolum Paulum, licet Divina & caelesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet, & copularetur Ecclesiæ. Et Centurionem Cornelium, quamvis exauditis orationes ejus, & eleemosynas respectus ei Angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret.* Accedit quod ea verba, *ἀναγινώσκοντες τὰ πνεύματα, judicat omnia*, non sunt idem, ac, *omnia definit*, sed, *recipit, approbat, piaque affectione dijudicat*; ut est in Proverbio apud Arist. 111. Eth. 15. *ὁ σπράδωκος ἐν αὐτῇ νεύει τοὺς ὁπθόντας, Probos de omnibus recte judicat*: quod explicat D. Thomas Lect. 111. in cap. 2. Epist. 1. ad Corinth. comparatione vigilantis, qui recte judicat se vigilare, & alium dormire, quoniam revera, *non sunt res quales videntur dormienti, sed quales videntur vigilantibus.* Alioqui si imbutus fide judicat omnia, cur non expedit difficilima theoremata? cur indiget cum Eunuchis, & discipulis euntibus in Emmaus expositore, & interprete? cur non eum Apostolo, & Cornelio ad Ecclesiæ magisterium accedit? Præterea haud male conjicit Cl. Estius Paulum in Epist. ad Corinth. *spiritualement hominem appellare perfectum & tam Apostolicis documentis instructum, quemadmodum ad Galatas vi. 1. inquit, Vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Consequenter docet animalem dici, qui credit utique, sed ob mentis imbecillitatem nondum percipere potest altiora mysteria, cujusmodi sunt pueri, ac rustici, quibus exposita Fidei Catechesi, inepte proponerentur quæstiones Theologicæ. Atque id colligit ex Apostoli scopo, vorborumque complexu; nam principio ejusdem capituli rationem producit, cur non prædicaverit Corinthiis recondita fidei mysteria, inquit, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Atque hanc responsionem tradit etiam Canus lib. 11. cap. 8. de locis. Ex qua adve-

hæ-

hæreticos retorquetur argumentatio. Enimvero ſunt in Eccleſia complures in Chriſto parvuli, adhuc carnales, & qui ad inſtar Corinthiorum nondum eſcam, id eſt, ſublimiorem doctrinam recipiunt, licet ſint & ſpirituales permulti, qui traditas ſibi doctrinas ſenſu ac ratione aſſequuntur. Igitur non omnes in Chriſtum credentes habent ſpiritum, non ſolum interpretationis, ſed nec diſcuſſionis ac diſcretionis. Quod autem ait Joannes in Epistoſa I. veriſſimum eſt, etenim per ſpiritum fidei, & internam unctiorem poterant Parthi dignoſcere quidquid illis in implendis mandatis præſtandum erat, necnon diſtinguere Pſeudoprophetas negantes Verbi divinitatem & Incarnationem; ſed illis hæc myſteria jam per Apoſtolicam prædicationem innotuerant, affirmante ibidem Joanne: *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam.* Ex hoc itaque loco tantum inferitur habentes ſpiritum & unctiorem Dei, niſi ſuis deſint partibus, ſcire quid ſibi ad ſalutem ſit neceſſarium, nec in errorem ab hæreticis induci, ſi teneant acceptam ab Eccleſiæ Paſtoribus institutionem. Addo internam unctiorem non excludere externum Eccleſiæ magiſterium, ſed adjuvare mentem, & inſpiratione occultæ virtutis efficere, ut quæ forinſecus dicuntur, formentur in corde, ſicuti, ut arbor poma ferat, præſtat internus vigor, ſed neceſſarium eſt tamen, ut agricola forinſecus operetur, adhibeatque diligentem culturam. Si magiſterium Eccleſiæ non requiritur, Quid ergo nos facimus, quia docemus? Si unctio ejus docet nos de omnibus, quaſi nos ſine cauſa laboramus, inquit S. P. Auguſtinus Tract. 111. in Epistoſa Joan. paucisque interjectis ita ipſum Joannem alloquitur: *Tu dixiſti, quia unctio ipſius docet vos de omnibus, ut quid talem Epistoſolam feciſti? quid illos tu docebas? quid inſtruebas? quid ædificabas?* Ac ſubinde producit allatum agricolæ exemplum. confirmatque illud verbis Apoſtoli I. ad Corinth. 111. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit.* Addo etiam ſermonem Joannis dirigi ad Eccleſias, non ad fideles ſingulos in particulari, hoc ſenſu, Spiritus ſanctus veſtras Eccleſias docet, nec opus eſt, ut Pſeudoprophetæ, quorum multi exierunt in mundum, ſe apud vos intromittant quaſi veritatem docturi. Vide Sylvium Opuſc. v. lib. I. q. 3. art. 6. ad 5. Eadem reſponſione expeditur quod depromitur ex Evangelio ipſius Joannis. Qui enim fecerit voluntatem Dei, do-

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

ctrinam ſibi in ſuo ſtatu neceſſariam habebit cognitam ac perſpectam, non tamen ſine doctore externo; quemadmodum Judæi, quos Chriſtus alloquitur, Evangelium tantis argumentis annuntiatum & comprobatum recepiſſent, ſi Divinis præceptis obtemperaſſent, dum Deus illis dederat Filium ſuum in ducem, ac præceptorem.

Denique, inquiunt Sectarii, cum Scriptura ſit verbum Divinum nequit ab homine teſtimonium accipere, nam & Chriſtus Jo. v. 34. dixit, *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio.* Quid enim magis abſurdum, quam Divinam auctoritatem ab humana robur accipere, & confirmari? Reſpondemus autem, *τὴν μαρτυρίαν λαμβάνων, teſtimonium accipere*, apud Joannem duplicem habere ſenſum; primus eſt, *alterius teſtimonium admittere*: ſecundus, *alterius teſtimonium requirere*, eoſque indigere. Priori ſenſu ait Joan. cap. 111. 32. *Teſtimonium ejus nemo accipit*, & Ep. I. v. 9. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt.* In altero ſenſu inquit Chriſtus, *Ego non ab homine teſtimonium accipio*: de ipſo enim propria opera perhibebant teſtimonium, ut ibidem ait, *majus Joanne.* Nego itaque quod Chriſtus non admittat aliud teſtimonium, eſſi illud non ita requirat, quaſi aliunde ipſius veritas non conſiſtat. Eo enim loci verſu 32. ait: *Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me, & ſcio quod verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me*: & cap. xv. 27. Apoſtoloſ alloquens, ait, *Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Igitur Chriſtus & Joannis, & Apoſtolorum teſtimonium accepit. Ab hoc autem teſtimonio veritas non habet in ſe robur ac firmitatem, ſed explicatur, proponitur, exhibetur. Præterea Chriſtus Joan. v. ſermonem inſtituit de propria divinitate ac miſſione; quam cum probaſſent tot prodigia ab ipſo patrata, teſtatus eſſet apud Jordanem caeleſtis Pater, ac olim prænuntiaſſent recepta à Judæis prophetarum oracula, non opus erat humano teſtimonio corroborare. Nunc vero ſi ambiguum ſit judicium de ſcripturis, de dogmatibus, de emergentibus controverſiis, quomodo ſpreta Eccleſiæ auctoritate poterit veritas definiri?

Objeſtant præterea hæretici ſanctorum Patrum auctoritatem. Etenim aſſerere videntur Scripturam unicuique apertam eſſe, & non indigere vivis iudicibus Juſtinus, Joannes Chryſoſtomus, & S. Pater Auguſtinus. Et Juſtinus,

8.
Objeſtio 8.
cum Solu-
tione.

9.
Objeſtio 9.
ex Patribus.

M m

ſtinus,

stinus quidem cum Tryphone disputans eundem solis propheticiis testimoniis revincit, eaque tam enucleata esse contendit, ut auditione sola, non interpretatione opus habeant. Chrysostomus hom. 3. in 2. ad Thessalonic. affirmat omnia ex Scripturis Divinis plana esse. S. autem Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. vi. ait: *Magnifice & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fustidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperitur.* Quæ ergo in uno Scripturæ textu apparent intellectu difficilia, aliorum textuum collatione enodantur.

10.
Solutio.

Respondeo perperam Sectarios ad Patrum auctoritatem confugere. Quomodo enim, si Scriptura clara est, neque indiget Ecclesiæ approbatione, latere in illa divinorum mysteriorum thesauros omnes asseruerunt? Quomodo obscurissimam appellarunt Irenæus lib. 11. cap. 47. Origenes lib. 3. contra Celsum, Clemens Alexandrinus, & Basilii supracitati? Quomodo Chrysostomus ait esse agrum in quo absconditus est sapientiæ thesaurus, ejusque profunditatem miratur hom. 40. in Joannem, 19. in Acta, & in Epistolam ad Philipenses? Quomodo Ambrosius Epist. 44. ad Constantium scribit esse mare habens in se profundam altitudinem prophetarum enigmatum? Quomodo Hieronymus scribit ad Paulinum, eam sine magistro ac doctore intelligi non posse, & quæst. x. ad Hedibiam, tantis obscuritatibus involutas esse Epistolas Pauli, ut ad illas intelligendas Spiritus sancti indigeamus auxilio? Quomodo sanctissimus parens Augustinus eodem, quem objiciunt, loco inquit quædam Scripturæ dicta obducere caliginem densissimam, & edomandam esse labore superbiæ, atque in illius Operis prologo Pauli Apostoli & Cornelii nobis exemplum proponit, ut nos Ecclesiæ magisterio imbuendos subiciamus, vitemusque præsumptiones superbissimas & periculosissimas? Itaque Justinus loquitur de Messiae adventu, & cum Judæo recipiente prophetarum oracula, quibus evidenter demonstratur venisse promissum in lege Reparatorem: unde tantum infertur quædam in Scripturis prænuntiata posse propugnari adversus inimicos veritatis, dummodo & hi ex majorum suorum traditione Scripturas ipsas recipiant. Chrysostomus intelligendus est de ea Scripturarum parte,

quæ continet moralia præcepta, quæ ut plurimum dilucide proponuntur: quamquam in iis etiam Ecclesiæ institutionem aliquibus necessariam agnoscit, dum ait citata hom. 3. *Si non potueris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiores, vade ad Doctorem.* S. P. Augustinus, neque de omnibus Scripturæ locis accipiendus est, ut liquet ex illa particula, *fere*; neque commendat Scripturas absque Ecclesiæ auctoritate & consultatione: sed de hac scribit proximo capite viii. *In Canonicis autem Scripturis Ecclesiarum catholicarum quamplurimum auctoritatem sequatur.* Ac lib. 111. ejusdem Operis cap. 2. *Consultat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit.* Similiter libro primo contra Cresconium cap. 33. *Quisquis falli metuit obscuritate questionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sacra Scriptura demonstrat.* Quid plura? Trita est omnium sermone præclara Augustini sententia cap. 5. contra Epistolam Fundamenti: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

Postremo hæretici argumentantur à ratione, nobisque objiciunt vitiosum circulum. Enimvero probamus Scripturam ex Ecclesia. Ecclesiam autem unde probamus? Ex Scriptura. Agimur itaque in fallaci circulatione, non minus ac inepte & stolide vagaretur, qui comprobaret matris alicujus honestatem ex testimonio filii: & interrogatus, undenam sciat filium esse testem idoneum ac probum, reponeret id patefieri attestatione matris. Addunt penes Ecclesiam nullam haberi auctoritatem irreformabilem, cum omnis homo sit mendax, ideoque minime aptus ad ferendum judicium de verbo Dei, quod subijci nequit errori.

Respond. Si aliquis imperite argutando fallaci ambitu circumagitur, hunc esse Paræum, aut Calvinistam alium similia adversus Catholicos effutientem. Nam unde probant Sectarii esse normam ad Scripturam dijudicandam privatam inspirationem? Ex ipsa Scriptura? Unde norunt Scripturam esse Divinam, atque hoc, vel illo sensu exponendam? Ex privati spiritus persuasione. Ipsi ergo hæretici vitioso ambitu circumaguntur. At nos nequaquam tali circulo agi constat, quia *circulus* committitur, quando hoc per illud, & illud vicissim per hoc probatur apud illum, qui neutrum concedit, atque ita circulatur

11.
Solutio.

qui

quod apud Judicem probare nititur honestatem matris testimonio filii, & honestatem filii testimonio matris, cum tam filii, quam matris honestas inexplorata sit & ambigua: circulantur hæretici, qui nobis contendunt demonstrare privatum spiritum ex Scripturis apertissimis, easdemque Scripturas ex persuasionem privati spiritus, dum nos utrumque negamus, & Scripturas quas proferunt esse apertissimas, & privati spiritus persuasionem ad Scripturas judicandas idoneam esse. Versaremur & nos in tali circulo, si ad refellendum Paganum comprobaremus veritatem Religionis Christianæ ex Scripturis, veritatem Scripturarum ex fide, quæ viget in Religione Christiana, dum Paganus ille utrumque præfate denegat. Hunc non tali methodo ad fidem pertrahere studeremus; sed propositis argumentis III. cap. quæ dici solent *motiva credibilitatis*; ac demonstrata summi Dei revelantis auctoritate, illum adigeremus ad præstandam fidem Ecclesiæ ob eandem Dei auctoritatem, implorata, à qua fides est, Christi gratia. At inimicos veritatis, qui ex fidei controversiis aliquam nobiscum propugnant, ex veritate quam probant nitimur refutare. Negant Manichæi vetus testamentum? Manichæos confutamus ex testamento novo quod approbant. Negant Lutherani auctoritatem Ecclesiæ? Lutheranos revincimus ex utroque testamento quod non abjiciunt. Negat Catholicorum aliquis incomptum sibi dogma? Catholicum convincimus auctoritate Ecclesiæ, cui se submittit. Atque id non est circulando vagari, sed recta aggredi oppugnatorem. Ubi autem Novatores omnia fere Romanensium Theologorum

dogmata impugnantes nobiscum decertant, non utimur nos uno duntaxat Scripturæ textu; sed ubi negant Ecclesiæ judicium, urgemus testimonia Evangelii: ubi Traditiones, opponimus Epistolæ Pauli: ubi Scripturarum canonem, obtrudimus & Traditiones, & Ecclesiæ judicium, quæ duo jam ex Scripturis comprobavimus. Atque ita non ex ignotis ignota, sed ex probatis ea quæ negantur inferimus. Quod si unum Scripturæ locum ex ipsa Scriptura explicamus, confugimus ad contextum magis expressum; ad sacri Scriptoris scopum, ad magis probatam Versionem, ad linguarum etiam proprietatem atque syntaxim, & ex iis quæ nota sunt, ea quæ ignota erant interpretamur, recepto tamen, quod spernunt Sectarii, vivorum Judicium magisterio. Si hoc sit vagari circulatione; nulla est, quæ non laboret tali vicio, in qualibet scientia ratiocinatio.

Dum obijciunt omnem hominem esse mendacem, qui aliud probant, nisi mendacem esse Lutherum, mendacem Calvinum, mendacem cujusque hæretici spiritum, qui proculdubio est humanus? Et quidem hujus mendacii argumentum est arrogantia, vanitas, perversitas, contradictio, & quæ paulo supra redarguimus. At summus Ecclesiæ Rector, licet homo sit, Divino Spiritu dirigitur, juxta factam beato Petro promissionem, quod nunquam deficiet fides ejus, & nunquam portæ inferi adversus eum prævalebunt. Cæteris directio Spiritus sancti non adest, nisi cum ipso Ecclesiæ Capite conjuncti sint; ac propterea controversiarum fidei supremus Judex est solus Romanus Pontifex; cujus auctoritatem alibi vindicabimus.

CAPUT V.

Præter Divinam Scripturam sacras quoque Traditiones esse admittendas.

SUMMARIUM.

1. Quinam Hæretici traditionibus opposui.
2. Quid sit traditio.
3. Traditionum multiplex genus.

4. Regulæ pro dignoscendis traditionibus Christi & Apostolorum.
5. 6. usque 18. Probatur, admittendas esse traditiones.

I. **N**OVATORES, ut diximus, solam Scripturam judicandorum dogmatum normam & regulam statuunt, quoniam illam pro libito in pravam sensum detorquentes facilius veritati repugnant, erroremque suum insolenti perversitate tutantur, facti veterum omnium hæreticorum imitatores.

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

Nam post Sadducæos, qui ante Christi adventum in Hebræorum gentem plures hæreses intruserunt, temere negantes quidquid veteris Testamenti scriptis non continetur, ut scribit Josephus lib. XI. Antiq. cap. 18. nullam præter Verbum Dei scriptum fidei regulam agnoscere priorum duorum sæculorum hæretici,

Mm 2